



Philosophical Transactions

Please note: Due to an error in the print volume, the page numbering in this article may contain either page numbering skips, or page numbering repetitions, or both. However, the article content is presented in its entirety and in correct reading order.

Please click on "Next Page" (at the top of the screen) to begin viewing the article.

I. R. P. Geo. Jos. Camelli, *De Plantis Philippensibus Scandentibus, Pars Quarta. Ad D. Jacobum Petiver, S. R. S. nuper transmissa.*

Fig.

139. **C**Antong & Tangcong Indorum, seu *Brassica Marina prima. Soldanellam officinarum* Botanici plerumq; omnes *Brassicam* faciunt *Marinam* Dioscor: Ipse bonâ tantorum, & optimè de re medicè meritorum viorum veniè, plantam in Luzone *Cangcong*, & *Tangcong* vocatam *legitimam* Dioscoridis *Brassicam Marinam* esse censeo; utpote quæ adæquatè com descriptione Dioscoridis *Brassie Marinae* convenit, & insuper notam, quæ in *Soldanellâ officinarum* desideratur, folia scilicet longa, & tenuia, habet. *Cangcong* pono, seu *Tangcong*; ad maris littoralia, & specialiter in fluviorum brachijs aquâ marinâ mixtis abundè provenit, prout & in *Lacu Baij*; verùm & in hortos translata citissime adolescit, & vitiosè propagatur. *Viticulis* inanibus, & fistulosis, quæ crebrò radices agunt, serpit, mollibus, & aliquando rubentibus, pauca succo lacteo prædictis, ut folia. *Folia* singularia, pinguis, oblonga, & angusta, mucronata, & aliquando ad imum paulò ampliora, & nonnihil dentata, saporis ex falso amariusculi. *Flos* campanulatus ex cœruleo purpurascit; ad *Indicæ campanulæ*, aut *Ægyptiaci Convolvuli* florum figuram accedit. *Semen* fuscum, & binum, in simili, sed minori *Scammonie nostræ prima* vasculo. *Ufus* hujus *Cangcong* est, ubi sanis, aut ægrotis alvus nimium adstricta fuerit, summitates, & teneriora folia decocta in cibum leguminis loco offerre; alvum si nondem citò, efficerit, & absq; molestiâ, non secus ac amicos solutorum *Cassie solutive*, deturbat. *Succus* verò saccharo mixtus *Hysteropis* ad aquæ excrementitiæ saburram

Vires.

ram elutriandam utiliter propinatur. Soldanellam *Matthiolus* cum *Rhæo* exhibet, *Schroderus* cum *Jingibere*, & ad Scorbutum commendat, quod prodesse in pluribus expertus sum. *Chabræus* tutò pueris, & imbecillibus exhibet, quod alij non admittunt.

140. *Brassica marina altera*. Hispani in Luzone *Pie de Fig. Cabra*, ob vestigij pedis capræ figuram, quam folium exprimit, Indi *Lampayong Catancatan, Bagasua, Camigang, Lagayray, Daraypay, Ragayray, Arogayday, & Alagaylay* vocant. Hæc maritima longè, latèq; solidis viticulis serpendo occupat, & obducit: Nec, ut *Cangcong*, alvo Vires. dejiendæ detervit; sed ambustis medendis, & antiquis, sordidisq; ulceribus mundificandis, & sanandis, foliorum pulverem videlicet inspergendo, & contusa folia sub cinere cocta superimponendo. Eadem contusa, sale, & oleo mixta, & assa Scrophulis imposita, eas efficaciter discutit, ut radix *Zerumbeth*, & folia *Malvæ cordifoliæ frutescentis* Luzonis. Succus foliorum illitus prodigiôsè capillum crescere facit. *Folia* crassiuscula, uncias tres lata, & totidem longa, parte superiori mucronis loco, ut *Brassica marina major* C. Bauhin. habet incisa. *Flores* similes sunt floribus *Cangcong* quoad figuram & colorem, non singuli, sed plures in longiori pediculo ad folij geniculum exeuntes. *Semen* fuscum, subrotundum, in ovalibus delitescit loculis, seu vasculis.

Sec. XI. Scandentes, uno vasculo plura habentes semina.

141. *Acetosa Ternatensis*, seu *Oxyptaphyllum*, Indis Fig. *Sagmit, Aguichoay, & Tugabang*. Spinosis, & reptatu Scandens est frutex, elegans, & graciosus; ut rariorem vix conspexerim plantam. Siquidem *Folij* luxuriat quadruplicibus, quæ alternatim plura simul proveniunt, binis foliolis, seu latoribus, & sessilibus unguibus ad exitum comprehensa. *Folia* reliqua in longioribus, & spinosis pedunculis,

pedunculis, crenata omnia, & aut hederacea trilobata, aut tricuspidata, vel quinquefolia. Unà cum foliorum manipulo prodit & floris mucronatus petiolus insidens quinis, quasi hamatim incisus, longiusculis alabastris. *Flos* candidus est, pentapetalus, palmatis in divaricatione, inodorus, cujus intum internum gratiosa inumbrat purpura, ut floris *Bolmusci*. *Semini* hirta, & aculeata receptacula *Semen* claudunt inæquale, seu sine sinapi majus. Folia *Sagmit*, apices *Alagao*, & capacea involuera *Tauglat* Indi piscibus coquendis adjiciunt.

Fig:

142. *Baligarab Baguin* frutex est, cujus virgulta in longa abeuntia sarmenta volucris modo scandunt. *Folia* subsæpera Laurinis majora, ex adverso provenientia, paucis prædita nervis. *Flores* exigui, copiosi, cyanei, hexapetali; petala subrotunda, in umbilico sex candidissimorum foliorum, à reliquis distinctissimorum, & floris formam constituentium sessilis congeruntur. Hæc florida, a floribus, & folijs distincta alba folia, dein cæcis floribus, unà cum fructu incrementum sumunt, & perennant; nec decidunt, sed semper fructibus substrata eosdem concomitantur. *Fructus* parvæ sunt glandes in caliculo denticulato, fauces leviter adurentes. Hic frutex scandens, & *Baligarab* arbor quoad formam, uti & nomen cum *salice peregrinâ* Leonhardi Rauwolfij, seu Maurorum *Garab*, nonnihil affinitatis habere videntur, è quâ scilicet fit *Aphronitrum* igniario pulveri parando, uti in *Luzone* ex *Balibago*, & *Bagatbat* arboribus.

143. *Malasavia*. *Volulus* est ferens *Folia* sociata, magna, ut *Folium Indum*, &, ut hæc, quinis majoribus fulcita nervis; ad horum genicula binos racemos vasculorum triquetrorum, seu ex tribus latis, papyraceis hemicyclis, & divisibilibus alis constantium, habentium *Semen* compressum in latis, & argenteis folliculis. *Radix* capitata est, & esculente.

Fig:

144. *Aristolochia Clematilis* Luzonis. *Sarmentis* scandendo longissimis, altissimas quasq; superat arbores. *Folium*

lium alternum, spithameum, palmo latius, trinis luculentioribus, & alijs quam plurimis dotatum, in mucronem protensum. *Flos*, & seminis pericarpium similia reliquis *Aristolochiis*, sed crebra racemis ad foliorum exitus. *Radix* longè serpens, sesquiuncialis, corticis crassi, subflavi; ferventis est saporis. Utuntur radice *Indi* in ventris tormi- Vires.
nibus, ad ciendos menses, partum, & secundinas, ob-
structionibus, contumacibus flatuum copia, nec non in ero-
sionibus gingivarum: Et *Ubitihan*, *Malanbi*, *Bitinbitin*
& *Timbatimbangan* vocant.

145. *Malanino*. *Volvulus* est magnus. *Folia* habet mag- Fig.
na, & è regione posita, ut arbor *Nino*; *Fructus* pariter
similis est fructui arboris *Nino*, sed compressior,
creber, subflavus, & rubescentibus flosculis pentapetalis,
ut *Nini*, ex ipso fructu undiq; procedentibus confitus.

146. *Volvulus Amygdaloides*. *Folium* habet spithameum, Fig.
ferè bipalmum latum, alternum, crassum, & quasi coria-
ceum, obscure virens. *Fructus* quoad putamen carnosum
Amygdalo simillimus, uti & putamen lapideum; sed major,
prout & *Nucleus*, qui flavescit, & quasi ex crebris frag-
mentis compactus est, ut *nucleus Cacao*; saporis adversi.
Nascitur *Silanij* ad fluvium.

Seçt. XII. Scandentes folio composito.

147. *Volvulus Pineæ Verisifugæ*, *Indis Niongiogan*, & Fig.
Bavaybavay. Uno ramusculo communiter decem habet
Folia, & hæc ex adverso posita, palmum lata, sesquipal-
mum, aut spithamam longa, mucronata, & late virentia.
Flos in ramusculorum provenit summitatibus, racematim
cohærens; est autem ex longo, & tenero tubulo pentape-
talis, inodorus, externè candicans, internè ex gratiosâ
palescens purpurâ. Floribus succedit pentagonus, &
pentaforis *Fructus*, niger, corticosus, & fructui *Bilimbis*
simillimus, sed vix uncia longior, qui corticoso putamine
rejecto nukulam offert formæ pineæ, sed ex quinque hemi-
cyclis carinulatam, saporis grati, ceu *Cocci teneri*, qui
lumbricos, & ventris tineas pellit, & interimit. Si in-
cautè,

cauté, & in copiâ offeratur, singultum causat, & sitim. Idem præstat foliorum *Succus*, qui & oculis inspersus, nubeculas discutit.

SECT. XIII. Scandentes *minus cognitæ*, folio *composito*.

148. *Lignum Sanctum* in *Luzone* vocant lignosa, brachialia, subrufa, porosa, saporis non ingrati, cortice vestita, ex subfulvo, & phœniceo variegata, & transversim dissecta, multoties ex interveniente cortice quodammodo effigiem Rosæ exhibentia Sarmenta *Volubili Maximi*; quem Indus *Camurim*, & *Tagalijs*, meliùs *Tacilæ* vocat, Hispanus *Palo Santo*. Cortex internè interveniens, & Rosæ folia interstinguens indicare videtur Sarmentum non tantùm ab intrinseco, sed & forinsecè accrescendo sumere incrementum, & augmentari. *Folia* gerit communiter ex 14, 16, aut 18 composita; folia specialia ex subrotundo mucronata, alternè appensa, in quibus nervuli per ea discurrentes quasi alia depingunt folia. Fluviorum amat ripas: De Flore, aut Fructu nihil scire potui. Sarmenta vulgus Quaiaco utiliter substituit; sudores potenter promovere expertus sum in refrigeratione, & Morbo Gallico: Concoctionem adjuvare de reliquo, & cibi dejectam resarcire ferunt appetentiam; prægnantibus tamen sine abortûs periculo exhiberi non posse.

Vires.

Fig.

149. *Camasga*. Frutex est scandens, cujus vieta sarmenta *Indis* ligustrum præstant sepibus colligandis. *Folium*, quod alternè provenit, componitur ex alijs sesquiuncialibus, oblongis, mucronatis, exsuccis, subalbidis, & subhirsutis, sibi oppositis 25 foliolis. *Florum* congesti, & breves ramuli parvos, candidos, inodoros, & pentapetalos sustinent flosculos. Sarmentosum lignum fruticis *Camasga* concisum, & decoctum multi utiliter calidè ad instar *Tchia* bibunt, defatigati nempe ab itinere, quos reficit.

Fig.

150. *Volubilis Malarayo*. Magnus est; Sarmenta crassitudinis carpi, levissima, transversim recisa varias spongiosæ materiæ exhibent figuras. *Cortex* cinereus, asper. *Folium Pyri*, quinque in uno ramusculo. Sect.

Sect. XIV. Scandentes *minùs cognita*, folio *alternè* exeunte.

151. *Volulus Absynthites*, Indis *Macabubay*, aut *Macabubu- Fig*
hay, id est tribuens vitam, alijs *Panavan*, *Paligaucan*, & *Tag-*
nantagnan. In dumetis, & umbrosis passim proveniens, longil-
 fimis scandit *Sarmentis*, digitum crassis, nodis verrucosis obli-
 tis, ex phœniceo luridè virentibus, splendentibus, Viperas
 quodammodo referentibus, & harum ad instar senectam
 deponentibus, sub quâ Cortex crassior, carnosus, & lætè
 virens, & sub hoc Medulla constans albis, & tenacissimis fila-
 mentis; ex quorum contextu *Indi* eleganti curiositate
 armillas, moniliq; à venenis, ac peste, ut ferunt, præ-
 servantia componunt. *Folia* hederacea, subrotunda,
 mucronata, alterna in longiori pediculo, Saporis, ut Sar-
 menta, Absynthio magis amari. *Flosculos* mittit in sesqui-
 palmaribus ramusculis, plures, herbaceos, cum apicibus
 flaventibus, tripetalos, inodoros. *Sarmenta* aere suspensa,
 aut plantâ rescissa arboribus involuta diutissimè virent, &
 vivunt; imò & folia emittunt: Et, quod admirandum,
 filamenta filum ligatorium crassa, rectissima, septem sæpe,
 aut plures longa *Orgyas*, terram, ut radidentur, quærentia
 demittit; ubi radicantur, & sarmenta jamjam marcescentia
 denuo restaurant, reficiunt, & refocillant. Succus, aut Vires.
 decoctum Sarmenti assumptum venenis adversatur, febres,
 præsertim tertianas, infringit. Leporam, & Morbum Gal-
 licum curare ferunt; & ut reliquæ tumorum efficacius
 dissipentur, ocyúsq; exulcerationes sordidæ, & gum-
 mata Gallica mundificando ad cicatricem perducantur,
 lotiones, fots, infessus, & balnea vaporis su-
 dorifera inde parata adhibentur: Radix summopere
 laudatur ad dejectam cibi appetentiam restaurandam,
 ad diarrhœas item, & vomitus sistendos. Oleum ex
 sarmentis, & *Sesamino* insolatione paratum ad præsen-
 tiam Malefici *Barang* effervesce narrant. Nonnulli
 Oleum componunt *Polychrestum* ex *Paliyavan*, *Nglaffon*,

Pangaguafon, Manungal, & Borogtongon. Succus ablaſian diſ. deſervit pueris. Sarmenta contuſa curant manantia ulcera, & Ten id eſt.

152. *Alanguilang Baguin.* Folium exerit alternum, aſperum, ſubhiſutum, ſpithameum, palmum unum latum, parte pronâ atrè virens, terſumque. *Floſ* inſidens tribus flavis, & convexis alabaſtris, magnus eſt, atro purpureus, inodorus, hexapetalus; folia oblongo-obtuſa. Floris umbilicum flavus, echinatus, ſeſſilis, & moro compar, ex crebris, & oblongis ſeminibus coagmentatus occupat nodus. Frutex eſt ſcandens.

153. *Banag Camagſa, ſeu Ronas, aut Ubiubihan* vocant Indi hujatem *Pſeudochinam.* Sumitur, & ſubſtituitur pro *China* præmiſſâ decoctione. Reperitur *duplex*; ſubdulcis, rubra, folio peramplo. *Alterâ* alba, radice amarâ, & folio anguſto, mucronato.

Fig.

154. *Pilipoc, vel Piligpoc.* Spinofa eſt planta, & ſcandens, ut *Lactang*, cujus *Sarmenta* tranſverſaliter ſciſſa iſdem gaudent circulis, quibus *Sarmenta Lactang*, ſed alba ſunt, ſolidiora, & non flava. Deſertur *Leyte, Otton, Baragnen, & Panay*; amat umbroſa, & ſaxoſa. *Foliura* dilutè viret, quaſi frontatum, alternum, ſpithamâ brevius. *Radix* majuscula, longa, lignoſa, candida, amara cum acrimoniâ, odoris petroſelini, non raro tuberofis excrescentijs inæqualis. Venenis omnibus efficaciter reſiſtere tradunt, ſagittarum verò veneno infectarum vulneribus officere; alvum pulveris ʒij ſine moleſtiâ repurgat, & in affectibus dubiis, & incertis curandis (hujusmodi multa *Indi* recommendant) ſecurum eſſe medicamen reſert *Nirembergius.* *Philipog* quatuor reperiuntur ſpecies; *duæ*; ſcilicet *Mas* & *Ferrina* in petroſis, & *aliæ duæ* in montibus ſylvofis. *Mares* corticem habent aſperum, magis morellum, & ſine morâ ſcandunt. *Femina* plus repunt, quam ſcandunt; *corticem* habent terſum, & magis amarum. *Folia Lauri* majora. *Montana* omnium efficaciffima, imò & aliarum *Contragvarum*, id eſt *Antidotorum correſſiva.*
Purgat

Vires.

Purgat bilem, & pituitam, sed sola tardè, & leniter, quare Vires.
cum alijs propinatur. Rasura corticis aquâ subacta scabiem
detergit, & exsiccat.

Seçt. XV. Scandentes *minùs cognite*, folio *è regione*
posito.

155. *Mangagao*. Scandens, & arborefcens est planta.
Folio ex adverso posito, longiusculo, parvo, & terfo.
Cortice aspero, crasso, amaro. *Vires* habet *Daocar*, & va-
let ad eadem.

156. *Lignstrum Molavin*. Volubilis est planta, *sarmentis* Fig.
pertinacissimis, unde à duritie ligni *Molavin* & nomen
mutuatur. *Folia* gerit atro-virentia, splendentia, neglecti-
ùs crenata, in sessili pediculo, sibi ex adverso posita, spi-
thamea, & palmum unum lata.

Seçt. XVI. Scandentes, *quorum florem, fructum,*
folium aut horum ordinem ignoro.

157. *Pangalamayo*. Planta Scandens; laudatur ad mam- Vires.
mas suppuratas, & dysenteriam.

158. *Hogaban*, vel *Ugaban*. Convolvuli lac clarificat
visum.

159. *Bolongan*. Convolvulus folium habet *Cannacori*,
sed odoriferum: Invenitur mas, & scemina; hæc censetur
efficacior, & habet folium atro-virens.

160. *Bucaa*. Convolvulus, fructu rubro, *Babay* simili,
qui maturus nigrescit.

161. *Alilitan*. Volvulus, *folium* habet pilosum, lacini-
atum, mediocre; *Sarmenta*, ut *Camote*. Valet ad tumores Vires.
discutiendos, & pruriginem *Basal* folium contusum, calce
mixtum impositum. Est verò *Basal* Eruca pilosa, tactu
prurimum molestissimum causans, & exulcerationes, manan-
tiâq; faciens ulcera.

162. *Malisad.* Convolvuli fructus dolorem sanat ventriculi, & vulneribus telis intoxicatis factis medetur.

Vires. 163. *Taloroog.* Convolvuli radix valet contra febres, diarrhoeas, dolores, & morsus animalium venenatorum.

164. *Calingag.* Volvulus Alexipharmacus, folio longiusculo.

165. *Caviran.* Volvulus ad genicula corniculatis aculeis armatus.

Vires. 166. *Hagur.* Planta scandens, spinosa, cujus radix admirabiliter adversatur venenis.

Vires. 167. *Lamparaban,* seu *Baguin Famoso* antonomasticè. Est volubilis planta, cujus Sarmenti Scobs, succus, aut decoctum potum, vel in enemate exhibitum Colicam, Cholerae morbi, & omnem ventris, aut ventriculi placat dolorem, & à viperis demorsis subvenit. Radix contusa, & imposita discutit *Pamajas,* *Lamparones,* id est Scrophulas, ut folia *Brassicae Marinae,* *Pes Caprae* vocatae. *Indorum* nonnulli componunt Panaceam, ut volunt, omnia sanantem ex *Lamparaban,* *Panubat,* *Bayagcambin,* *Putat,* & *Mangungal.*

168. *Baguin* antonomasticè, id est volvulus. *Sarmenta,* & virgulta habet vieta, & contumacissima, vicem præbentia ligustri. *Folia* sociatim sena, aut etiam plura in uno ramusculo, sesquipalmaria, & majora, trinervia, & ex atro-virente splendentia. *Fructus* sunt poma frequentia, sphaerica, ex viridi flaventia, magnitudinis nucis juglandinae putamine viridi liberatae, carnosae, cum *Seminibus* crebris, compressis, nuci vomicae caninae vix non similibus, at minoribus, albicantibus, pellucidis, & quasi corneis, Saporis adversè amari. An species *Nucis Vomicae Officinarum*? Num idem ac *Lamparaban*? ignoro.

Vires. 169. *Duclitan.* Volvuli prægrandis, ut *Tugtungajas* est. *Sarmentum* ligni porosi, cortice mollioris, dilutè rufi, corticis crassi, subrufi, asperi, solidi, & insipidi. Rasura vulnera recentia 24 horarum spatio admirabiliter consolidat, ulcera antiqua detergit, & sanat. Pota partum accelerat,

lerat, & foetum expellit mortuum sine morâ. Alij *Palo del Cap Franco* vocant; affertur ex plagâ *Honda*. Alijs *Palo de los Sambales*.

170. *Malasauva*. Est aliud etiam scandentis plantæ lignum, minùs crassum, æquè ut *Duclitan* vulnera efficacissimè ferruminans. An *Tugtungajas Maragondonensis*? Lignum vulnèrarium *Paynan de los Aetas*, nî fallor, idem est ac *Duclitan*, forma siquidem, soliditas, & sapor eadem cum illo. Distinguuntur à *Tugtungajas*, solidiora siquidem, & ponderosiora sunt.

171. *Baclacar*. Est *Sarmentum* volvuli, consolidans, facie radice liquiritiæ, cortice aspero, ligno solido, flavescente, poroso, saporis acerbi. Desertur *Zebuc*.

172. *Malacatmon*. Magnæ, & scandentis plantæ *Sarmenta* incisa aquam stillant limpidissimam, dejectionibus cruentis, & hepatis calidiori salutarem. Pariter & conducit inflammationi oculorum, gutturis, & faucium aphthis in collutione, & gargarismo.

173. *Abongluy*. Planta est scandendo sese involvens. *Folia* folijs *Pilipoc* angustiora. *Cortex* cinereo-fuscus. *Radix* alba; lignosa Trunci materies flavescit; saporis est styptici, subsalsi, amaricantis, demum mordice morsicantis. Valet ad eadem, ad quæ *Daocagay*, seu *Igasod*.

174. *Panilon*. Planta amplexicaulis, magna, ut *Abongluy*. *Cortex* Sarmenti niger, & glaber. *Lignum* coloris lutei. *Mas*, & *femina*, utraq; odorifera, sed *femina* vehementius, ita ut dolorem causet capitis recenter recisa; saporis adversi, & fatui. Usus cum alijs contra venena. Fœminam alij *Paulan* vocant. *Species tertia* ligni albi, minùs odora, & minùs efficax est.

175. *Sumpa* antonomasticè, id est *Contra yerba*, seu Antidotum. Planta est scandens, arborefcens, alexipharmaca, seu venenis resistens, purgans. *Cortex* albicat. *Folia* similia juglandinis, læte virentia, terfa. Utuntur cortice, & radice, quæ amara sunt cum acrimoniâ, & stypticitate. Usus, & dosis *Dalabrab*, seu *Tabàs*.

176. *Palacat*. Volubilis, & arborefcens planta, ligni foliidi, deforis coloris *Daocagay*, fed obfcuri magis. *Cortex* rubens, craffus digiti dimidium, qui masticatus falivam reddit fanguineam, adstringens cum aliquâ acrimoniâ. *Folia* inconcinna, fpithamea, & ad exortum duodecim fpinulis munita. Alexipharmaca eft. *Palacat* arborem vide fuo loco.

177. *Hanboboaya*. Planta eft fcandendo arborefcens, fimilis *Panilon*, cujus fere coloris eft lignum Sarmenti, fed craffius. *Sarmentum* totum verrucis obfitum, tenax, pertinax, & vietum, ita ut pro anchorarum deferviat camelis. *Folia* quafi laurina, minora. *Radix* faporis fubamari, modicè ferventis, cum aliquâ adftrictione. Additur Antidotis.

178. *Panabol*. Planta fcandens. *Caudex* ex albo flavet. *Folia* funt Aurantij. *Radix* piper fapit. Est unum ex præftantiffimis Antidotis; exhibetur communiter *Maguindato* commixtum, & optimos fortitur effectus. *Panabol* arborem vide fuo loco.

179. *Caobos*. Planta eft fcandens. *Cortex* Sarmenti niger. Lignofa materies ex albo crocea. *Folia* pulchella, fpithamâ longiora, ad tactum afpera. *Radix* ex adftringente faporis adverfi cum aliquâ acredine. Immifcetur Antidotis.

180. *Mangoncong*. Planta fcandens. *Cortex* coloris ex rufo nigrefcentis, parvis verrucis tuberosus. *Lignum* folidum, fubfulcum, amarum cum aliquâ acrimoniâ. Vires *Pilipog* efficaciores.

181. *Pamgnao*. Planta feffe involuendo fcandens. *Folia* gerit *Olivæ* folijs majora, & magis obtufa. *Caulis* parvis obductus fpinulis. *Radix* Saporis boni cum modicâ morficatione, cujus recentis corticis Scobs tumores refolvit, & inflammationes tollit. Siccare convenit fumo, non Sole.

Appendix ad Scandentes, & Volubiles.

182. *Cayolacka* in Siao, *Lelima* Celebes, *Taratara*, vel *Tadatada*, & *Sandana* Byfaiani, *Kanchinbio* Sinæ, *Sandalo* Hispani vocant *Lignum atro-rubens*, solidum, ponderosum, gummosum, inficiens, *Santalo Citrino* odoratius, aromaticum, primum subdulce, mox amariusculum, & demum probè masticatum non nihilum fervens, brachium crassum, cortice & albarno liberatum, & communiter cavum. Mittitur *Batachina*, *Kanchinchina* sed pallescens. *Peta de Sanguil*, *Tahontungan*, *Siao*, *Buraguen*, & *Camarines* solidius, & gummosius. Est autem *Convolvuli*, seu *Plantæ Scandentis maximæ*, cujus Sarmenta non rarè femur crassa, cor, seu matrix. *Folia* aiunt esse *Rubi Idæi* folijs similia. *Suffumigijs*, & odoramentis dicatum est. An *Aspalathus Erysiocetrùm*?

183. *Tinganyquis*, seu *Saguin* (saguin). *Planta* est *Sarmentis* longè, latèq; repens, & scandens; orbatis folijs, quæ non nisi in apicibus proveniunt. *Fructus* promit per intervalla *Palantanis* similes, minores eis, quos *Obispos* vocant, saporis grati, si maturi; gaudet palustribus.

184. *Pangagbasun*. *Planta* arborefcens, altissimè scandens. *Cortex* subfuscus cum verrucis, crassus calami scriptorij. *Lignosa* radicum, & sarmentorum materies porosa, cum matrice spongiosa. Saporis amari, & adstringentis est cortex. Gaudet viribus iisdem, quibus arbor *Pangagbasun*. Eadem esse videtur, ac *Igasur*, & *Daocagay*.

185. *Malacapulco*. *Planta* alijs substerni gaudet cre-
berrimis sarmentosis virgultis. *Folia* alterna, composita Fig.
communiter ex 13, palmum longis, sesquiunciam latis,
subrotundis, ex adverso subincanis.

186. *Niogniogan altera*, *fructu* tetragono. *Volubilis* est Fig.
planta, sarmentis pertinacissimis arborum altissimas con-
scendens. *Folia* trinervia sociatim exeunt, 6 aut 10 in

E e e e e e e e e e

uno

uno compositorum folio. *Seminis vascula* tetragona, altè alata, papyracea, unam includentia nuculam oblongam, striatam, molliusculam. *Capreoli*, quibus sese spiratim innectit, bifurcati sunt.

Fig.

187. *Volulus digitalifer*. Longis scandendo sarmentis *folia* exerit alternè, pentaphylla, lætè, & splendidè virentia; ad horum sinus forficulæ longiores, ad extremum fissæ, & in varios convolutæ cincinnos. *Vascula* solidiuscula, digitorum auricularem crassa, longiora effingentia, digitalia, coloris ocræ, & in summo tribus valvulis dehiscencia, in cubitalibus congeruntur racemis. Florem, & semen necdum habere licuit.

Fig.

188. *Planta fruticosa scandens*. *Folium* habet subincisum, alternum, sesquipalmare, palmum latum. Ad horum sinus in longioribus racemulis *fructus* flaventes, exiguos, sparsim appensos.

Fig.

189. *Gayduygayduy*. Planta est volubilis. *Folium* mittit alternum, lætè virens, crenatum, ferme sesquipalmare, subrotundum. *Seminis papilionacea vascula*, triquetra, coloris palaris, in ramosis, spithameis, & longioribus racemis ubertim conglomerata. *Semen* spadiceum, parvum, cordiforme.

Fig.

190. *Colutea scandens*. Frutex est ramosissimus, longè repens, & scandens. *Folia* ex 17, 19, aut 21 *Senæ* paribus componuntur. *Flosculus* albidus, exiguus, galeatus. *Folliculi* compressi, ut *Senæ*, communiter biventres, de foris lunato orbe notati, scilicet ubi *semen* delitescit, quod majus est, quàm *Senæ*, Phaseolum referens compressum.

Fig.

191. *Ubayban*. Frutex est scandens, similis fructui *Camagfa*. *Folium* sesquiunciale, infernè canescit, supernè ex atro-virente splendet, obtusum est, & alternè exiens, & 30 circiter in uno spithameo, majori, seu composito folio. *Flosculi* pusilli, aurei, ad foliorum exitus, quibus succedunt *baccæ* similiter aureæ, magnitudine ciceris, sed compressæ, & senis carinulis, ut fructus *Banquiling*, sulcatæ, continentes *senæ*, nigra, & angulosa *semina*.

192.

192. *Scandentis Planta Malacatmon* Folia alternè enascuntur, solidiuscula sunt, & aspera, palmum lata, spithamam longa, rariùs, & majusculè dentata, & nervis crebris ad marginem usq; protensis fulcita, folijs arboris *Catmon* similia, sed non tam ampla.

193. *Vaynillam*, id est *Vaginulam*, siliquam esse tradunt plantæ volubilis *Hernandez*, & *Piso* apud *Raium*. Mihi sciscitanti de plantâ *Jac. Antolinus* affirmavit esse fructum arboris mediocris. Idem asseruit *Emanuel de Leon*, qui pariter *Mexici*, & *Peruvij*, ac *Antolinus*, diu vixerat, addens esse fructum arbusculorum, altitudinis, & similitudinis *Genistæ*, folia habere pauca, & longiuscula, *Vaynillas* plures simul congestas pendere á caudice, & ramorum majoribus; Odorem esse proprium, non adscititium, ut quidam volunt, & á longinquo percipi odorem arbusculorum, cum & ipsa folia eodem prædita sint odore. Abundat ad portum *Acapulco*. In *Jucatan* vocant *Czijzbik*, id est *Capiscum Stupidum*. *Vaynilla* est Lobus oblongus, aromaticus *C. Clusij*. Hæc interim, donec *Mexico*, & *Peruvio*, unde plenior expetij notitia, certior fio, aut planta *Acapulco* adferatur, unde expecto. *Vaynillam* recentem *Josephus Encalada* ait esse Lobum teretem, flavescentem, ferme cubitalem, & pollicem crassum, si habitior fuerit; qui ad solem curatus, seu passus in striatam, seu rugosam, nigricantem, & odoriferam abit siliquam.

194. *Planta Scandens Morifera*. Folia promit subrotunda, sesquipalmaria, alterna, ad quorum sinus continuè super divisum pedunculum bina quævis rursùm binis substratis foliolis complexa, subrubra mora exeunt.

195. *Taguina*, alijs *Galamay*, *Calangcang*, *Carangcang*, aut *Cayangcang*. Planta est scandens, gaudens innasce, & involvi arboribus emortuis, quandoq; tamen in magnam, & vastam assurgit arborem. In Marem, & Pœminam distinguunt *Indi*, hanc *Calangcang* vocant, & Mare magis odorifera est, caudice ex albo viridescente. Folia communiter quina uno coherent in longiori pedicelo, sed & sena, sep-

tena, aut novena nonnunquam connectuntur; sunt verò sublustria, terfa, nervis carentia, crassiuscula, palmaria, & longiora, obtusa. *Floſculi* puſilli, ex ſubviridi flaventes. *Fruſtus* ſunt baccæ virides, ſphæricæ, hexagono vertice notatæ, in botro corymboide, quaſi ex crebris umbellis compoſito. Ramuſculo reſectō gutta ſtillat reſinoſa, lactea, odorifera, quæ temporibus illita dolorem lenit capitis. Arbor ſtillat liquorem copioſum, coloris, & conſiſtentix ſuccini, ubi induruerit, Hiſpanicæ ceræ ad inſtar impreſſas reddens formas. An ſpecies Terebinthi dicenda? Ex apicibus parantur balnea Morbo Gallico, Lepræ, Scabiei, & dolori capitis proficua.

Vires

Fig.

196. *Capparis Luzonis*, Indis *Tagarau*, *Xhabagat*, & *Bagit*, diſtincta eſt à *Cappare rotundifoliâ*, ut & *acutifoliâ* Hiſt. Ludg. prouti & à *Tabagineâ*, ſeu *leguminofâ*. Longis autem, crebris, ſpinofis, & circumadnaſcentibus, ſuperinſtratis protenditur virgultis; arboreſcentem caudice bicubitali non vidi, niſi ſemel; de reliquo *Cappari rotundifoliæ* ſimilis, at *folio* longiuſculo, mucronato, biunciam lato, palmam, aut ſeſquipalmam longò, & alterno poſitu enaſcente, é cujus angulo *Capparés*, ſive ſorum conceptacula, aut petioli ſeriatim ſeptem, vel novem propendent in flores, ſeu roſas parvas, quadrifolias, é candido rubentes, & infinitis fibrarum ſtipatos cirris, unà cum ſtolone explicandis. *Fruſtus* eſt pomum rotundum, minori Myſniaco æquale, quod maturum bellè rubet, & decuſſatim dehifcit. *Semen* reniforme, ſubfulcum, crebrum, Piſo minus. *Radix* cortice tegitur craſſo, albo, & ſolidiuſculo, ut *rotundifoliæ*, & ejuſdem uſûs. Hujus ſcobem ad vulnera recentia ferruminanda inſperſam Indi unicè commendant.

Vires.

Fig.

197. *Jasminum vulgare album*. *Baccas* fert rotundo-oblongas, virentes, dein ferrugineè nigreſcentes, morellè tingentes, ut baccæ Myrtillorum, & *ſemen* continentes, gigartos longiuſculos.

198. *Jasminum* Luzonis, seu Indorum *Camunin*, *Mola* Fig. *vin*, aut *Banati*, seu *Buxo-jasminum*. Arbulcula est ramosa, foliosissima, spontanea, & umbras amans, raro crassitudinis femoris, ligni solidissimi, flaventis, ut Buxi, aut *Euonymi* vulgaris, quem alij *Tetragoniam*, & *Fusarium* vocant, tornatilibus accomodatissimi. *Folia* atrè virentia, tersa, & splendentia, obtusè mucronata, frontata, uncialia, aut longiora, crassiuscula, ex amaro acria, folijs Myrti similia, communiter septem, aut novem, ad summam 12, aut 13 in uno compositorum, alternè, vel sociatim appensa. *Flosculi* ad apices in fasciculis prodeuntes, candidi, odoris Jasmino suavioris, pentapetali, decem crocatis staminibus, & umbilicato stylo referti *Fructus* sunt baccaë rotundo-oblongæ, in mucronem desinentes, virentes, mox rubentes, magnitudinis minoris avellanaë, hirsutis gravidæ arillis. Radicem Vires. venenis efficaciter resistere perhibent. Foliorum, & rursæ corticis decocto sovent vulnera sagittis intoxicatis facta, & ictus, & exulcerationes ex ictibus animalium nociferorum ortas.

199 *Jasminum*, Arabum *Sambach*, seu *Syringa alba*, Fig. Indis *Sampaga*, & *Marol*, in Luzone colitur triplex. *Primum vulgare*, folio ex adverso prodeunte, ad summum palmari. *Flore* communiter ter trino in uno fasciculato, ex duplici ordine, & 9, 10, aut 12 folijs composito, in caliculo ex novem radijs. Hoc diligenti curâ arborefcit, & multitudine florum compensat simplicitatem. *Fructum* raro ferre, aut perficere videtur, cum qui se eum observasse asserat, præter *Raium*, inveniam neminem; & in Plantis ultra decennium excultis, caudicis tricubitalis, & uncias quinque crassis, necdum observare potuerim, præter rudimentum inane. Planta *Cortice* obtegatur ad Caudicem cinereo, exalbido, & friabili, necnon acriusculo ceteràm vitiosè luxuriat, & nisi frequenti cohibeatur putatione, sylvescit. & in virgulta 4, aut 5 ulnarum viminea, & sarmentosa profunditur, non tamen vieta, ut ligustri vicem præbeant, sed fragilia, nec sese alijs circumvol-

volventia, sed longius serpendo excurrentia, & crebrò radices agentia, nisi pedamentis adligata arborefcere cogantur. Ut lætius, & uberius florescat in *Decembri* aut *Januario* putare convenit in *Luzone*.

Fig.

200. *Sambach alterum* arborefcere respuit, virgultis gaudet crebris, & tenuioribus, folijs similibus priori; flore polypetalo, communiter trino in uno pedunculo, gratioso, ex pluribus ordinibus, qui folia circiter 24 radiatum in orbem spargit, relictis in medio alijs petiolum constituentibus, quæ nunquam, aut tandem marcescentibus prioribus foliolis explicantur.

Fig.

201. *Sambach tertium*, vulgus *Japonense* vocat. Luxuriat rarioribus sarmentis, quæ nunquam serpunt, sed rectè attolluntur, & non, nisi in fistilibus, excoli gaudet. *Folia* communiter trina, ac trina caliculum ambiunt, quæ angustiora sunt duobus prioribus, verùm & quatuor, sex, aut septem numero caliculum cingunt, & sæpe in apicibus frequentissima quasi in *Thyrsum* conglomerantur. *Flos* polypetalus, centifolius, communiter unicus, pulcher, & rarus; aliàs propullulat & monstrosus, ita ut millena folia gerat, sed tunc non explicat æqualiter, verum uno, aut duobus lateribus, vel marcescentibus floris primi aliquot ordinibus, alter ex eodem caliculo ex confusâ illâ innumerabilium foliorum congerie medium floris occupante, quasi posthumus emergit, propullulat, & affurgit. Radicis *Sambach Orientalis* succum, aut pulverem ad ʒij exhibitum, partum accelerare tradunt. Alij in balneo vaporoso commendant. Radix in dolore dentium, astmate, lethargo, & paralyfi utiliter masticatur. In febribus datur Pulvis ad ʒj. Occidentem spectantem venenum, & nocivam esse volunt. An Arbor, cujus radix Orientem spectans antidotum, occidentem ipsum venenum, de quâ *Pineda*, & alij. Folia contusa ulcera antiqua manantia, & serpentina detergant, cohibent, & dolorem leniunt. Aqua, aut infusum florum visum acuit. De Oleo vide *Raium*.

Vires.

202. *Pannstus*. Frutex est scandens, folio conjugato, amplo,

plo, villoſo, in ambitu rariùs ſimbriato, & ſeptem luculentius eminentibus nervis fulcito. *Fructus* quadrangularis, in mucronem abiens, minor avellanâ, pulvere repletus, in racemo prælongi cohæret pediculi. Decoctum foliorum *Pannus* ^{Vires.} dentes vacillantes confirmat, gingivarum, & maxillarum reſolvit tumores, & fauces exulceratas ſanat.

203. *Camunin alterius*, ſeu montanæ lignum *Hiſpani Palo de Mierda*, id eſt lignum *Stercorarium* ob gravem odorem vocant. Ex fuſco ſubcroceum eſt, ſolidum, & ponderoſum, optimum, & efficac contra contagia, quod ex inſulâ *Capaloo*, *Tayavas* inter, & *Malindic* ſitâ deſertur. Scobs allio, & *Aſſâ* fœtidâ contuſis permixta, & illita ſpafmo medetur. Differt à priori, quod *folium* gerat minus, *florem* inodorum, *lignum* conſcriptum, & uſtum odoris gravis, &c.

204. *Taratara*. In *Camarinorum* vico *Tabaco*, qui inſula *Catanduan* reſpicit, abundat, ubi ab *Indis Balongawit* audit. Scandentis fruticis eſt lignum, *Cortice* tegitur exalbido, maulcoſo, ſcabro, ſub quo liber corticoſus, ſubfuſcus, ſaporis nullius manifeſti. Alburnum poroſum eſt, purpurea matrix inæqualis. *Folia* non ſunt *Rubi Idæi*, ut mihi retulère, ſed ſunt folijs ſalicis ampliora, communiter palmaria, aut longiora, ad ſummum bipalmaria, & uncias duas lata, alternè exeuntia, atro-virentia, ſubluftria, odoris ſylveſtris, quinq; ſeptem, aut novem in uno compoſitorum, quorum ſupremum ſemper majus cæteris, quæ pariter alternatim appenſa ſunt ramulis, punctis albis notatis. Fig.

205. *Suaſua*. Similiter scandentis fruticis lignum eſt, ſed flavum, & *Taratara* magis odoratum. Hoc ab *Indis*, & *Hiſpanis* in *Lazone* pro *Santalo* flavo, ut *Taratara* pro rubro, ſed perperam habetur. Aliud ferunt reperiri æque scandentis plantæ odoriferum lignum, & album.

206. *Frutex ſpinofus scandens, fructu pentagono, echinato.* Fig.
Folia gerit ad virgultorum geniculos, ſimilia folijs *Batele*, plura ſimal, & incerti numeri, & formæ, ac magnitudinis, congeſta; ubi & binis aduncis defenditur aculeis. *Fructus*

vascula in ramosis, & magnis racemis, uncialia, oblonga pentagona, quinquevalvia, echinata, & nescio quid viscosi glutinis oblita, *nucleum* continentia oblongum, fossulâ hiantem.

Fig.

207. *Macabubay aeta*. Frutex est scandens, *folia* ampla, alterna, tenera, rotunda, in exiguum vergentia mucronem, acetosa, quinque luculentioribus stipata nervis, in spithameo pediculo.

208. *Panalongdong*, alijs *Camagfa*. Distincta planta á *Camagfa*, seu *Ligno Sancto*, sed planta scandens, ut illa, sarmentosa virgulta mittit, vieta, *Bexunco* pertinaciora, & magis durabilia, nigerrima, ut *Corallium nigrum*. *Folia* folijs cannæ similia. *Flores* parvi, rubelli. *Baccæ* rubræ, rotundo-oblongæ. *Radix* multiplex, cortice nigro, odoris, & saporis aromatici sine acrimoniâ, convestita.

Vires.

209. *Talongotong*. Volvulus succi rubri, ut *Binonga*. Utuntur decocto epoto in exituris, affectibus scabiosis, & abscessibus internis. *Folia* ampla, ut *Mavolo*.

210. *Rosa sylvestris scandens* Luzonis. *Radix* Plantæ mediocris, cubito longior est, crassitudinis palmaris, cortice tenui, papyraceo, sulco intecta. *Caro* alba, dulcis, rapo magis compacta.

211. *Pating Prima*, alijs *Salibangbang-baguin*. *Flos* non est penta-sed tetrapetalus, croceo-rubens, in bicubitalibus alternatim spithameis ramusculis brachiatis racemis, exceptus tetraungui perianthio, & trinis crocatis staminibus, & siliquulæ rudimento, seu embryone dotatus.

212. *Dilan-butiqui*. Planta scandens, distincta ab arbore, *radix* ligneo-fibrosa, cinerea, saporis acriusculi ut *Camagfa*, cum aromaticitate. Utuntur eâ *Indi* in Cachexiâ, obstructionibus, & cacochymiâ.